



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Oliverii Florentii Waterloop Congreg. Oratorii B. Mariae
Aspricol. Presbyteri Monita Spiritvalia Et Moralia
Tetrastichis distincta**

Waterloop, Oliverius F.

Antverpiae, 1657

Titulus V. Pax optima rerum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9689

Vel mente sanâ præditum
 Cæcare possunt munera:
 Laqueis aves, aut retibus;
 Altutus auro prenditur.

Laqueo leonem maximum
 Pusillus attrahit lepus;
 Sic vincit auro maximum
 Pusilla turba Principem.

Cur sanguis, & lingua, omnibus
 Aurum putatur? an quia
 Virtus & eloquentia,
 Auro loquente, conticent?

Auro loquente, Tullii
 Ægrotat eloquentia:
 Silentio plebem docet,
 Delectat, & valdè movet.

Pax optima rerum.

1. **P**Acis bonum, & concordia
 Tibi eligendus est amor:
 Non invida ambitio, mala
 Tot bella quæ secum trahit.

Litem oderis: bona res, quies:
 Res, turpe lucrum, turpis est:
 Periculosa temeritas:
 Egisse quod voles, age.

Est pace nil pretiosius;
 Nil, quod sequaris, dignius:
 Felix, cui placidam datur
 Sine lite vitam claudere.

Tibi sit auro carior,
 Quæ vita litibus caret:
 Tumultuoso diviti
 Præfer quietum pauperem.

Rem, quâ potes, serva tuam
 Sine lite tutam: jus tuum
 Sine advocato judica:
 Lis mota nescit terminum.

Lis ulcerosa spem parit;
 Scabiosa litem spes alit:
 Cave; utriusque erit comes
 Et finis, Infelicitas.

Litem parit lis alteram,
 Noxamque noxa: fervida
 Contentionis exitus,
 Est sæpè pœnitentia.

Quem jure possis vincere,
 Huic cede: servatur noyo
 Amicus obsequio vetus;
 Contentione pellitur.

Voces duas, Meum & Tuum,
 Expunge; nullus litibus
 In orbe restabit locus:
 Pax occupabit & quies.

Si vita, si victoria
 Arridet; æqua cogita:
 Est norma vivendi ut decet,
 Modusque vincendi, æquitas.

Nec cuncta, nec semper velis
 Iure obtinere: in tempore
 Plus vinci honeste proderit,
 Quàm lite turpi vincere.

Quem jure possis, cum voles,
 Malis ferendo vincere:
 Illustris est patientia,
 Obscura, juris æquitas.

Es quisquis osor litium,
 Turbas & iras effugis:
 Hac lenitate, plurimum
 Tranquillitati consulis.

Amica pacis æquitas
 Deliberationibus
 Aperire consuevit forum,
 Foresque bello claudere.

Vicinus est malus tibi?
 Huic indigenti fac benè:
 In jus ubi vocaberis,
 Pro te volens testabitur.

Læsus, potenti da locum,
 Da tempus iræ: te volet
 Sontem juvare septies,
 Qui læsit in fontem semel.

Iracundia. Mansuetudo.

1. **I**Nsania est quidam furor;
 Homines in irâ corripit:
 Hanc continere, ingens opus,
 Viroque dignus est labor.

Est fortis ille, qui facit
 Ex hoste amicum, qui malæ
 Domitor cupidinis, suam
 Substringit iracundiam.

Sta fortis, & tacitâ tuos
 Prudentiâ affectus doma;
 Facies amicum qui nocet,
 Hostemque reddes hospitem.

Æqui bonique regulam
 Conculcat ira, cum caret
 Duce ratione: nil boni
 Tractari ab irato potest.

Est lucis expers impetus;
 Ignara rixa consill;
 Concordiæ altercatio,
 Sapientiæ arrogantia.

Præceps ad iram, rem ob levem
 Leviter movetur; nec potest
 Quæ recta sunt discernere,
 Et ad docendum ineptus est.

2. Infirmus est animus ferox.
 Iram coërce: ni facis,
 Mentis recedet pristina
 Et robur & serenitas.

E nare pressâ abit cruor,
 Lac & butyrum ab ubere;
 Sic rixa ab irâ nascitur:
 Rixam times? iram preme.

Sit ira lenis: altero
 Sic temperetur alterum,
 Ne lentior sit lenitas,
 Nec ira sit violentior.

Placidæ quietis otium
 Ne turbet ira, fluctibus
 Obsiste primis: serviat
 Adfectus; huic mens imperet.
 Quando